

Q. H. 355, 23.


II b  
200

X1860571

I. N. 3.  
DIATRIBE  
HISTORICO-POLITICA  
*De*  
**ZYGENORUM**  
**ORIGINE, VITA**  
**AC MORIBUS**  
*AUCTORE*  
**AHASVERO FRITSCHIO.**  
A. O. R.

---

JENÆ,  
Typis & Sumptibus GEORGII Sengenwalds.  
ANNO 1660.



Q 37



1000  
1000  
1000



PERILLVTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO, DOMINO  
HENRICO DECIMO,  
RUTHENO  
DOMINO A Plauen/DYNASTÆ IN  
Graiz / Cranichfeld / Gera / Schlaiz  
& Lobenstein &c.  
DOMINO MEO PER CLEMENTI AC  
GRATIOSISSIMO.

Felix imperium & fortunatam tranquillitatem.

**J**Am dudum, DOMINE GRATIOSISSIME,  
propter tam praelaram literarum cognitionem, quâ omnem  
reliquam ad invidiam usq; superas Principum Nobilitatem,  
omnis admirata est Germanie, omnisque post bac loquutura est  
Europa, immò totus aliquando in tuas laudes excurret terrarum  
orbis. Quapropter tantæ virtutis eminentia, juxta ac doctrinæ,  
charitati nibil deberi, nisi industria & arte elaboratum opus, o-  
mnibusq; numeris absolutum, aperte fateor. Cum verò TU AM  
singularem in quosvis Clementiam ac benignitatem, quâ non tam  
donum offerentis, quam animum soles intueri volentis, fama de-  
predicavit publica; concedes & huic, sic confido, vilissime ingenii  
herbule oculum alterum, ac breves hæcce pagellas, q; cunctæ egdæ  
currentia lamo enarratas, gratiose dignaberis intitu. Hoc for-  
tasse gratius (si DEUS largiorem hujus utræ usuram dederit) in-  
genii opusculum sequetur. Te cum generosissimâ familiâ bono sub-  
disorum horum in longeva etatum tempora sospitet & conser-  
vet. Manebo, quoad per vitam potero

Perillustr. Generosit. Tux

Dabatur Rudolf ho-  
poli, ipso die natali,  
16. Decemb. A.O.R.  
1659.

Subiectiss. cliens & servus.  
AHASVERUS FRITSCHIUS.

PRAEFATIO.

**N**fame quoddam erro-  
num genus, vulgo Zygēnos vocant,  
seculo post N. C. decimo quinto  
in Germaniam nostram irrep̄it, o-  
mnesque Imperii provincias ultra-  
centum & quinquaginta annos per-  
errando mendaciis, mendicationibus, imposturis  
& clanculariis expilationibus non spernenda da-  
mna simpliciori cum primis plebeculæ intulit, ne-  
scio quo religiosæ peregrinationis, vel potius otio-  
sæ oberrationis prætextu. Cùm verò Imperia-  
les sanctiones in isthanc otiosorum ac fraudulentio-  
rum hominum colluviem ex variis nationibus col-  
lectam, ut proditores & exploratores hostium Im-  
perii, jam dudum justæ ultionis aciem strinxerint,  
eamque ex finibus nostris ad Garamantas & Indos  
longissimè rejecerint; eo tamen malo Germania  
nostra in huncusque diem repurgata nonsit, sed ex  
vulgo reperiantur nonnulli, intempestivâ quadam  
commiseratione fascinati, qui otiosam & exosam  
stellionum mendicitatem excusare non verentur;  
publi-

publicam legum auctoritatem pernicioſo huic er-  
rori opponere, & testatam Auctorum fidem de  
Zygenorum origine vitâ ac moribus breviter in lu-  
cem proferre, operæ pretium mihi viſum fuit, ut  
cuivis, etiam simpliciſſimo, modō ne cerebrum in  
calcaneo, & peponem loco cordis habeat, (ut est in  
proverbio) clarissimum ſit, fictitios hosce Ægy-  
ptios omni ſecuritate ac beneficio indignos eſſe.  
Scrib. Rudelſtadii in Aula Schuwartzburgicâ 4.  
Junii. Anno 1659.

---

## MEMBRVM I.

### De variis Zygenorum nominibus.

**C**ùm Zygeni, vagum & inutile hominum genus, hoc &  
superiore ſeculo omnes ferè provincias Europæ per-  
agrarent, diversa etiam apud diversas nationes me-  
ruere nomina. Noſtrates Germani eos adpellitant  
Zigeuner / quaſi dicas, ſig oder ziehe einher / h. e. vagantes &  
vagabondos. Cum liberis ſiquidem & uxoribus huc illuc  
divagari ſolent. Matth. Wehner. obf. pract. voc. Zigeuner. A-  
libi Tartari, Tathern vulgo dicuntur, quod ex Scythia vel  
Tartariā primūm veniſſe credantur. Pet. Frid. Mindan. lib.  
2. de mandat. cap. 48. n. 7. Latinis barbaris modò Zigari,  
Zigeni, Zigeuni, Zigareni, Zigeneri; modò Saraceni & A-  
gareni, modò aliter appellantur. Gallis hodiè Egyptiens  
ou Boëmicus, qui courrent le pays, faisans eſtat de predire  
aux gens leur aventure. Steph. Basquier des recherches de  
la France livr. 4. chap. 17. laudatus Dn. Limneo de J. P. tom.

4. 3.

3. lib.

3. lib. 9. oap. 1. n. 161. quod ex Bohemiâ catervatim in Galliam primitus venientes innoquerint. Vulcan. de liter & lingua Getar. Recentes Graci Attinganos, Itali Cingaros, Cingalos, Cianos, Hispani Gittanos h. e. Ægyptios, Belgæ Heydenen h. e. gentiles, paganos, nominant. Peucer. de divinat. cap. de incantat. p. 322. Albert. Cranzius in Saxon. lib. II. cap. 2. In reliquas appellations nunc inquirere super vacanci laboris esse puto.

## MEMBRVM II.

### De Zygendorum gente & origine.

**S**criptores non minus de tempore, quo Zygensi Germania innotuerunt, quam eorum gente varias ac discrepantes fovent opiniones. Stumpfius lib. 13. Chronic. quem sequitur Melchior Goldast ab Heimensfeld. Aleman. nic. rerum tom. I. part. I. gloss. I. fol. 171. anno post natum Christum 1418. in Alemanniam plus quam quatuordecim millia, connumeratis uxoribus ac liberis, primùm pervenisse, auctor est. Aventinus verò lib. 7. Annal. Bojar. anno 1439. eos in Germaniâ innotuisse tradit. Albert. Cranzius, celebris antiquitatum scrutator, in Saxon. lib. II. cap. 2. anno N. C. 1417. in maritimis locis ad mare Germanicum comparuisse scribit Wurstisius lib. 4. Cbron. Basil. cap. 23. quem laudat Limneus d. l. n. 165. anno 1422. primùm Basileam appulisse notat. In Galliâ anno 1427. cognitos fuisse Zygenos memorat Pasquier, cit. loc. Tale genus hominum futile & detestabile in Asiâ apud Mahumetanos passim quoque vagari, hisce nostratis Europæis Cingaris sceleribus, imposturis, furtis aliisque nefandis vitiis, multis nominibus superiores, ipsisque Turcis prudentioribus (licet sub titulo sancti-

sancitatis sese tucantur.) ob hypocrisim detestabiles, eosq;  
Torlaquios vocari, multi tradiderunt. Camer. d.c. 17. &  
cent. 2. c. 75. Quæ opinionum discrepantia secundum pro-  
vinciarum diversitatem, in quibus primūm visi Zygeni, ac-  
cipi potest.

Cæterūm majorem Historicorum discrepantiam cir-  
ca gentem & originem Zygenorum deprehendere licet,  
cui tum varians & efficta errontim confessio, tum auto-  
rum ex vitæ genere, cum quibusdam populis consimili eli-  
cita conjectura caussam dedisse videtur. Præcipuas saltim  
scriptorum opiniones in præsens attigisse, non erit dividiæ.

Vulgò creduntur ex Ægypto primūm, & vicinis A-  
phricæ partibus produisse, ubi incantationum, uti universi  
omnis generis præstigiarum, & divinationum cantus, non  
est usus, ut nihil nisi consutis vatibus suscipiatur, & ma-  
gnus vatum numerus singulis diebus in foro publico, in  
campitis & pergulis præstoletur consuetores: quod qui A-  
lexandriæ, Alcairi, quæ Memphis est, & in locis vicinis fu-  
re, pro certo ac comperto adfirmant. Peucer. *de divinat.* p.  
322. Gödelman. *de Magis.* lib. I. cap. 5. *in fin.* Ipsí etiam ex  
Ægypto se esse adfirmant, majorum delicta, qui Virginem  
Deiparam, cum puero Jesu Herodis effugientem tyranni-  
dem hospitio excipere recusarint, extorresque domo à su-  
peris cogi, septem annorum exilio expiare, alioquin cala-  
mitatem & sterilitatem omnino præstò esse, impudentissi-  
mè configunt. Aventini. d. l. Camer. *med. hist. cent. I. cap.*  
17. Besold. *thes. pract. voc. Zigeuner.*

Aliam ingratitudinis suæ caussam illi, qui anno 1427.  
Galliæ primūm cogniti facti sunt, reddidere, à Pontifice,  
quod primūm Christiani facti, postea à Saracenis devicti re-  
ligionem fidemque mutassent, pœnitentiæ ergo damnatos  
septem

septem annis hinc indè sine certâ vagari sede. Septenarium autem istum, qui postea Gallias peragrarunt, non tantum majoribus, sed & sibi, ut pote successoribus, conficiendum perpetuâ scire injunctum dixerat. Pasquier. cit. loc.

Polydorus Virgilius *de inventor. rerum lib. 7. cap. 7.* Assyrios & Cilices esse, eosque Sacerdotibus Deæ Syriæ, qui fraudum fuere callentissimi, successisse scribit. Matth. Martinus *in Lexic. Etymol. bac voc.* Zygaros à gente circa Caucasum montem ex quorundam opinione habitante oriundas statuit. Idem *invoc. Cingaris*, ex Joh. Brodæo *lib. 8. miscell. cap. 17.* Walachos, i.e. Italos, huc illuc olim ad repellendos barbararum gentium tumultus ex Italiâ in colonias, ubi patrium habitum per multos annos ad hunc usque diem in parte retinuerunt, missos fuisse refert.

Pierius *in hieroglyph.* nonnullos arbitrari hoc hominem genus ab ave Cinclo (cujus picturâ veteres extremæ paupertatis hominem significare voluerunt, undè proverbium, teste Suidâ, ortum, Pauperior Leberide & cinclo) nomen accepisse scribit. Verba Pierii lege sis apud Philipp. Camerar. cit. loc. add. Gorap. Becan. lib. 1. bermathena p. 18. cuius opinionem refert Limneus d. l. n. 161. Zygari, ait ille, ab Italibz Cingali appellantur, propter vitam motoriam & vagabundam. Cingalum enim, sive Cingulum, alii marinam quandam avem, alil jyngem, sive torquillam, alii motacillam, in quibus Galenusest, nominarunt. Omnes certè à frequenti motu nomen hoc mutuati: Crediderim itaque vagabundos mendicos, sic etiam apud veteres vocatos fuisse, atque indè vocem prius in magnâ Græciâ, deinde per totam Italiam, iis attributam esse, qui nullas certas sedes haberent: & quemadmodum olim in proverbio fuit, Cingalo pauperior; ut ex Menandro docet Suidas ita nunc recte

reētē dici posse, Cingalo furacior, propterea, quod hoc  
hominum genus furandi artem palam profiteatur, in-  
genti Magistratum, qui hos non statim vel remis vel  
vel glebis addicunt, ignominia. Hæc Becanus Volaterra-  
nus lib. 12. Geograph. ab Uxiis & Persis, quorum sapien-  
tibus & Magis mos cum matribus coire, ortum suum  
habere tradit. Alii eos originem ducere à Chuso,  
quem ferunt filium fuisse Chami, & oriundos ex Æthy-  
opiā, atque adhuc progenitoris maledictionem per u-  
niversum terrarum orbem vagentes luere putant.

Vulcanii Brugensis, quem laudat Doctiss. Came-  
rarius Medis. histor. cent. 2. cap. 75. opinio in libro de li-  
teris & lingua Getar. hæc est: Nubiani, ait, inferioris Æ-  
gypti partibus contermini, sub Patriarchâ Alexandri-  
no sacrâ linguâ Elkupti celebrarunt. Multi Episcopati-  
tus in eorum finibus fuerunt. Ante hos centum & se-  
xaginta, plus minus annos à Sultano Ægypti sedibus su-  
is pulsi, Palæstinam, Syriam & Assiam minorem mendi-  
corum specie pervagantes, trajecto Hellesponto, Thra-  
ciam, & circum Danubianas regiones incredibili mul-  
titudine inundarunt, Itali Cingaros vocant, Galli Bohe-  
mos, quod indidem ex Bohemiâ prima illorum esset  
notitia. Item Ægyptios, quod Nubiam, etiam iſi  
Nubiani minorem Ægyptum vocent. Nubæ à Ste-  
phano ipſi & vopuīdss vocantur; & à Claudio lib. 1. ad  
Stilicon.

*Venerat & parvis redimitus Nuba sagittis.*

Metropolis eorum Condari, non solūm hodiè ab ipsis  
vocatur, sed & in mappâ Mundi Turcicâ notata est.

Templorum eximiorum etiam hodiè multa exstant ve-

B

stigia,

Nigia, & qui supersunt de illâ calamitate in suis sedibus,  
Christianos etiamnum hodiè sese profitentur, sed sine  
ullis Episcopis, templis & sacrorum solemnibus. Sæpè  
ab Imperatore, sive Negos Abyssinorum Episcopos pe-  
tentes non impetrarunt, vel penuria Episcoporum in  
Abyssinis, vel metu arenosas solitudines, & Mahtime-  
tanorum injuriæ obnoxias, adeundi. Omnipotè No-  
mades & latrones sunt, cujusmodi etiam ipsorum pro-  
genies Cingari isti, qui non solum morem majorum  
suorum, & furtorum licentiam, sed etiam linguam reti-  
nuerunt. Specimen hoc linguae Nubianorum occa-  
sionem mihi (pergit Vulcanius) dedit, cogitandi de idi-  
otismo erronum quorumdam, qui avorum, immò pa-  
trum nostrorum, memoriâ, oppida omnia & pagos per-  
vagari, & templorum fores catervatim obsidere solent,  
& inauditis technis atque imposturis vulgo fucum facie-  
bant, Nubianis illis non absimiles, eo tamen ab iis di-  
versi, quod cum Nubriani chiromantices, & præteri-  
ta futurorum divinandi praetextu fallerent, hi sanctimo-  
niæ alicuius simulatione, & peregrinationis ab ipsis insti-  
tutæ ad loca variis Divis dicata, quos diversorum atro-  
cissimorum morborum, quibus sese obsessos fingebant,  
averruncatores prædicabant, miseram plebem densissi-  
mis ignorantiae tenebris immersam atque obsecratam,  
& piâ quâdam credulitate ad commiserationem ipso-  
rum adductam pecuniâ emungebant. Nubianos illos,  
quos Itali, ut diximus, Cingaros vocant, propriam sibi  
ac peculiarem provinciæ, è quâ orti fuerunt, linguam  
habuisse, Josephus Scaliger censet, cujus judicio auto-  
ritatique libens adquiesco. Existimaverim autem,  
Gallos & Hispanos suos etiam habuisse hujus generis er-  
rones,

tones; qui inter se lingua vulgo incognitâ uterentur: quam quidem inconditam linguam, putarim Gallos jargon, Hispanos Ibrigonæ appellasse, nisi fortassis ipsam etiam Nubianorum linguam ita appellarint. *Hac tenuis Vulcan.*

Et hæ sunt præcipuae Auctorum de origine Zygenorum opiniones, in quo conflictu quid certi statuendum sit, in proclivi non est. Ægyptios esse, ut vulgo quidem persuasum, non facile dixerim, cum moribus ac linguae Ægyptiorum dissimillimi semper fuerint; nec probabile sit, ex uberrimâ fertilissimâque regione ad extremas Hispaniarum infertiles oras, emenso mari mediterraneo advectos. Sed illa sortilegorum colluvies ex Alpium & Pyrenæorum præruptis saxis & latebris, adipente æstate, quasi fucorum examina, in regiones ubiores erumpunt. Joh. Bodinus lib. 5. de Rep. cap. 2. *in fin.* Nec Tartaros vel Scythes esse adseverare licet, quamvis quoad mores ac vitæ genus iis non adeò videantur absimiles. De Tartaris hæc tradit Zwingerus in theatr. vit. bum. vol. 17. p. 3900. Uno in loco non diu commorantur, sed depastis pascuis cum armentis, uxoriibus & liberis, quos in plaustris & equis secum circumferunt, aliò commigrant, gravem infelicitatem putantes, diu in eodem loco morari, iratiique liberis suis hic grave malum imprecantur: Utinam eodem in loco perinde ut Christianus perpetuò hæreas, propriumque factorem olfacias.

Cœterum in tantâ nube temporum, sed & Historicorum, integrum nobis haut est, undè primùm descenderint, certi quid adfirmare. Dn. Limneus. de J. P. Tom. 3. cap. I. n. 161. Tot sanè annorum experientiâ

B 2 edocti,

edicti, communissimam hodiè sententiam intrepidè probamus, Zygénos, hodiernos maximè nihil aliud esse, quām manipulum furum, & colluviem otiosorum & fraudulentorum hominum, ex variis nationibus non ita remotis collectam, qui extra civitates in agris, in triviis, rentoria erigentes, latrociniis & furtis, deceptionibus & permutationibus, atque ex chiromantica divinatione oblectantes homines, iis fraudibus victimum mendicant. Camer. cit. loc. Plures, immò maximam eorum partem, quos egò vidi, Germanos esse, multis deprehendi indiciis, ait Limn. d. l. Quod & ipsi hodie apertissimè fateri non verentur. Aventinus d. lib. 7. annal. Zygéni, ait, furacissimum illud genus hominum, colluvies atque sentina variarum gentium, quæ in confinio imperii Turcarum atque Ungariæ habitant, Regc Zindelone, nostras peragrare cœpere regiones. Furto, rapinâ, divinationibus impunè prorsus victimum quæritant. Experimentis cognovi, eos uti Venedicâ lingua, (quā alii Rottwessch / de quā exstat peculiatis libellus, vocant. Keckerm. sy- stem. pol. cap. 24. eā sc. quæ furibus, nebulonibus atque impostoribus propriâ.) Idem de illis judicium lege sis apud Alb. Cranzium, cit. loc. Mart. Mager. à Schönberg in eruditiss. tract. de Advocat. armat. cap. 8. n. 77. & seqq. Besold. in tbes. pract. Wehner. in obs. pract. voc. Zigeuner. Petr. Frid. Mündan. de interdictis comment. 29. tit. . n. 72. & seqq. Bernh. Zieriz. ad Nemes. Carolu. art. 39. Bodin. d. l. Schönborn. lib. 3. polit. cap. 16. König in theatr. polit. part. 2. cap. 10. n. 52. & seqq. Keckerm. in system. polit. cap. 24. Hoc addimus, Zygénos, qui superioribus seculis primū in Germaniam & Galliam irrepseré, non Germanos.

manos, sed ex remotioribus terris, Aphricā forte, ori-  
undos fuisse, vero non absimile videri.

## MEMBRVM III.

### De Zygendorum vitâ ac moribus.

**Q**uamvis ex iis, quæ de Zygendorum origine, frau-  
dibus & imposturis pro instituti ratione breviter  
diximus, facile, ut ex ungue Leo, cognosci possit,  
qualis sit illa errorum colluvies, paucula tamen  
jam dictis superaddere haut absolum videtur. Cùm  
verò præ cœteris quos quidem videre licuit, modò lau-  
datus Cranzius hanc impostorum progeniem egregiè  
depinxerit, ipsius verba *ex lib. II. Saxon. cap. 2.* adducere  
adlubuit. Quum ageretur, *inquit*, à Christo annus de-  
cimus septimus post mille quadringentos, primū ad-  
paruere his nostris maritimis locis ad mare Germani-  
cum homines nigredine informes, excœcti sole, im-  
mundi veste, & usu rerum omnium fœdi, furtis rapinis  
imprimis acres, præsertim fœminæ ejus gentis. Nam  
viris ex furto fœminarum victus est. Tartaros vulgus  
appellat. In Italiâ vocant Cjanos. Ducem comites  
milites inter se honorant. Veste præstantes venati-  
cos canes pro more nobilitatis alunt, sed ubi venentur,  
nisi furtim, non habent. Equos sæpè murant, major  
tamen pars pedibus graditur. Fœminæ cum stratis &  
parvulis jumento invehuntur. Literas tum prætule-  
runt Sigismundi Reginis & aliquot Principum, ut transi-  
tus illis per urbes & provincias incolumis permitatur  
innoxiusque. Ferunt ipsi, ex injunctâ sibi pœnitentiâ

B. 3. mun-



mundum peregrinantes circumire; sed fabellæ sunt.  
Hominum genus, quod usu compertum est, in peregrinatione natum, otio deditum, nullam agnoscens patriam, ita circuit, furto, uti diximus, fœminarum vicitans: canino ritu degit: nulla religionis illi cura: in diem vivit: ex provinciâ demigrat in provinciam: per aliquot annorum intervalla redit, sed multas in partes scinditur, ut non iidem in eundem facile redeant, nisi per longa intervalla, locum. Recipiunt passim & viros & fœminas volentes in cunctis provinciis, qui se illorum miscent contubernio. Colluvies hominum mirabilis, omnia perita linguarum, rusticæ plebi graviter immensus: ubi foris illi laborant in agris, si spoliis invigilant casellarum.

Habes hic, B.L. in brevi quadam tabellâ vivis coloribus strigum & latrunculorum, quo titulo eos exornat Mindanus *cit. loc.* vitam ac mores egregie depictos, cuius rei veritatem in funestissimo tricennali Germanicæ nostræ belio tristis aperuit & firmavit experientia.

Quod verò Chiromanticam attinet, cuius mysticæ scientiæ peritiam hodie Errones illi jactitant, præceptis forsan aliquot adhuc retentis artis suæ opinionem tueruntur, mentiendi ac mendicandi artem rectissimè dixeris. Quamvis enim mysticæ illæ figuræ quibusdam non otiosæ & fortuitæ videantur lineæ, quippe ab eo penicillo ductæ, qui nihil fortuitò facit, ut placet Auctori *Relig. Medici* *secl. 2. part. 2.* & Chiromanticam inter divinationum Physicarum genera, quatenus intra Physicas versatur metas, neque his egressis prolabitur in imposturas, collocet Casp. Peucer. *de divinat.* pag. 615. usum tamen compertum habemus, nihil nisi aniles esse nu-

gas

gas mendacia mera , & fabellas ad expilandum simpli-  
cioris plebeculæ loculos , serinia & casulas insidiosè u-  
surpari solitas . Zigari , ait Wehner . est . loc . manus in-  
spiciunt , & singulis eventus indicant , vulgo Warsager /  
vel verius Lügensager . Plura namque mendacia , quām  
vera proferunt , & sāpē furti aut alterius sceleris notam  
īs inurunt , qui innocentissimi sunt . Ita consulentes  
decipiunt , & pecuniā defraudant . A Domino dirigun-  
rur gressus viri ; quis autem hominum potest intelligere  
viam suam ? Proverb . 20 . vers . 24 . Deus disponit sin-  
gulis suos eventus , neque quisquam est , qui possit scire ,  
quid sibi sit eventurum . Quare ex verâ fide piē offici-  
um vocationis nostræ faciamus , neque de futuris even-  
tibus simus solliciti , sed nos & nostra omnia Patri cœlesti  
committamus , der wirds wohl recht machen . Utī piē mo-  
net Gödelman de Magis cap . 5 . in fin . Sanè peccatum  
grave contra primum Decalogi præceptum reputant  
Canones , & qui in eos commentaria scripsere , si ali-  
quis ejusmodi peregrinatores Zigaros de fortunā suā  
percontatur , animo credendi id , quod illi responderint ;  
quamvis ex curiositate , vel ridendi gratiā si quis faceret ,  
non pro lethali culpā habeatur , nisi persona talis con-  
ditionis esset , ut ex illâ interrogatione alii graviter offen-  
derentur ; tunc enim ratione scandali gravius censetur  
peccatum cap . cum ex injuncto . ibi : ab his tamen , quæ  
fine mortali peccato committi possint pariter & dimit-  
ti , sit pro scandalō tollendo cessandum . X . de nov . oper .  
nunc . Quod etiam nostrates adprobant Theologi , ut  
videre licet apud Dedekenum concil . Eccles . vol . 1 . part .  
2 . p . 927 . Arnold . Mengering . scrutin . conscient . cap . 5 . cas .  
19 . Osiander in Act . cap . 16 . ubi ait : Hodiè graviter im-

piā



pia curiositate peccant, qui vel Magos vel Necromanticos consulunt, vel etiam vagum istud genus hominum, quod Germani Zigeuner vocant, quod pro accepto pretio audacissime, s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> etiam mendacissime, divinat de rebus prae*ter*itis, prae*sen*tibus & futuris.

Cum etiam, ex Cranzio monuimus, Zigenis nulla vel admodum frigida sit religionis Christianae cura, illique terras nostras solito more peragrantes infantulos non raro Parochis ad sacrum baptisma offerre soleant, recte dubitatur, an precibus ipsorum tutò & illæsâ conscientiâ locus dari possit? cavendum quippe, graviter monente Salvatore apud Matth. cap. 5. ne sanctuarium canibus (quibus hi errores non sunt absimiles) projiciatur; cum haec tenus exempla docuerint, turpissimâ spe lucelli alicujus occasione solemnium captandi quosdam allectos sacramentum hoc salutis humiliter petuisse, eo impetrato impiissime illud reiterasse. Ea propter Ecclesiæ ministro sedulò incumbit, si in hoc spirituali negotio conscientiæ velit consulere, in parentum religionem prius studiosè inquirere, seriamque Christianismi confessionem efflagitare.

## MEMBRVM IV.

*Zygenos in Rep. non esse tolerandos.*

**C**um fictitii illi Tartari seu Ægyptii vulgo Turcarum emissarii, proditores & exploratores patriæ habeantur. Erfahrer/ Verräther und Außspeher/ die der Christen Lande dem Türk<sup>en</sup> und anderen der Christenheit Feinden verkundschaffen, è civili sociate,

te, tanquam carcinomata & purgamenta recte excluduntur, quemadmodum ante centum & sexaginta annos in Comitiis Augustanis Anno 1500. decretum est, à gloriosissimo Imp. Maximiliano I. per Edictum publicum omnibus Imperii Ordinibus injungeretur, ne ullibi in Imperio Romano-Germanico Zigaros ferant, sed denegatā omni securitate publicā, ex provinciarum suarum finibus ejiciant. Constitutionis laudatæ verba hæc sunt. Derjenigen halber so sich Zigeuner nennen und hin und her in die Lande ziehen soll per Edictum publicum allen Ständen des Reichs durch uns bey den Pflichten darmit sie uns und dem H. Reich verwandt seyn ernstlich gebothen werden daß sie hinführō dieselben Zigeuner nach dem man glaubliche Anzeigung hat, das sie Erfahrer/Außspäher/ und Verkundschaffer der Christen Lande seyn/in oder durch ihr Land/Gebiet und Obrigkeit nicht ziehen/handeln noch wandeln lassen/noch ihnen selbst Sicherheit oder Gelend geben. Und das sich die Zigeuner darauff hinzwischen Ostern nebstkünftig aus den Landen teutscher Nation thun/sich der enteusern/ und darinnen nicht finden lassen. Denn wo sie darnach betreten/ und iemands mit der That gegen ihnen zu handeln fürnehmen würde/ der soll darinn nicht gefrevelt/noch unrecht gethan haben/wie solches unser mandat weiter inhalten wird.

Cum vero saluberrima hæc sanctio Imperii, temporum successu, ut saepius fieri adsolet, desuetudine ferè obliterata fuerit, in sequentibus Comitiis repetita legitur. Vid. Rec. Imp. de anno 1530. tit. von Zigeunern. Rec. Imp. Spiræ de anno 1544. Rec. Imp. Augustæ de anno 1551. Ordinat. Poliz. Augustæ de anno 1548. d. tit. ubi plenissimè provisum fuit his verbis, quæ latine reddita apud Melch. Goldast. tom. 2. const. Imperial. pag. 350. sic sonant §. 83. & segq. Cum nobis relatum sit, Errones illos, quos Sarracenos sive Ægyptios

C

aut



aut Paganos vocant, qui que antea urgentibus ex causis per aliquod tempus non sunt admissi, sed fines Germanicæ nationis excedere coacti sunt, hunc rursum sese ingerere, & quamquam Magistratus quo decet modo in eos animadvertere in animum inducant, ita tamen illis plerumque diplomatibus prospectum est, ut Magistratus adversus eos jure agere nihil queant, in magnum communis Reip. detrimentum, cum sit illi, quod in nostrâ sæpè dicta politiæ Ordinatione consultò & mature constitutum ad probatumq; est contrarium : Quo itaque etiam in hoc articulo illam Ordinationem tueamur & exequamur ; decernimus dicta diplomata illis erronibus à quocunque etiam sint concessa, irrita, abrogata, & annullata esse, quemadmodum per præsentes ex certâ scientiâ irrita facimus abrogamus, & annihilamus. Præcipimus quoq; & mandamus, ne posthac amplius hujusmodi diplomata concedantur. Sin autem dicta diplomata concedi, aut ab erronibus illis proferri contingat, nihilominus illis contemtis & neglectis, Magistratus illos errores in suis Dominiis ferræ non cogantur, imò ferre non debent.

Eadem verba leguntur in deformat. Polit. Rudolphi II. de Anno 1577. tit. de Zigaris. add. Pet. Frid. Mindan. de tr. de interdictis comment. 29. tit. 3. n. 72 ubi ait : Cùm fictiti illi Ægyptii publicam viarum, locorum & diversiorum publicorum securitatem non raro minùs tutam faciant, eamq; longè magis infestent, quām si via rupta, vel quod aliud in cā obstaculi positum sit, hinc ultra juris communis sanctiones publicis imperii constitutionibus non tantum à monitoriis interdictis, sed etiam ab ipsâ executione, si quid periculosius immineat, neque adquiescere illi, vel ex territorio emigrare velint, contra eos procedere, permisum jus sumque est, junge Mart. Mager. à Schönberg d. tract. de advoc. arm. cit. loc.

Ean-



Eandem Imperii constitutionem in suis territoriis ac provinciis Ordines ac Status vi obligationis promulgarunt.  
*Vid. ordin. polit. Elect. Saxon. de anno 1512 Ord. Pol. Magdeb. cap. 23. verb.* Unser Haupt- und Amtleute / wie auch die von der Ritterschafft und andere / so eigene Gerichte auff dem Lande haben / sollen wider die Ziegeuner / Inhalt der Anno 1577. in Frankfurt erneuerten Policy- Ordnung mit Ernst exequieren / und gedachten Zigeunern und ihren Anhange / wo die unsers Gebietshs ankommen / einigen Durchzug / vielweniger aber Unterschleiss oder Einlogierung nicht verstatten / sondern dieselben strack s abe und zurücke weisen &c. *Ordin. Polit. Ducum Saxon. Frider. Wilhelm. & Johannis tit. 86. Ordinat. Electorio Palat. tit. de Zigen. Constit. Polit. Megapol. art. 12. vers.*  
Es sollen unsere Amtleute die Ziegeuner in Aembtern / Städten unnd Dörffern nicht dulden noch leiden / sondern sie bey Sonnenschein außerhalb Landes verweisen ; und wo solche Ziegeuner betreten / unnd iemands mit der That gegen ihnen handeln oder etwas fürnehmen würde / der soll daran / besage der Reichs- Abschiede nicht gefrevelt noch unrecht gethan habe.

In Galliâ etiam contra Zigaros, prætendentes privilegia à Gallorum Regibus ibi concessa, Lex Aurelia Magistratus armari jubet ; & cùm pestis illa in Hispaniâ quoq; latissimè grassaretur, edicto Ferdinandi Regis anno 1429 coerceri coepit. *Bodin. de Reg. lib. 4. cap. 2. in fin.*

Attamen adeò vana superstitione hominum quorundam mentes velut lethargus invasit, ut eos violari nefas putent, atque grassari, furari, imponere passim impunè sinant. *Aventin. d. l.* Cùm verò isthochominum genus furandi artem palam profiteatur, non sine ingenti Magistratum sit ignominiâ, qui eos nō statim remis vel glebis addicunt, suprà laudatus *Becanus cit. loc.* Ecquis enim negare ausit, è Republicâ re magis futurum, si vegeti, qui otiosè vagari ac

C 2 mendit.

mendicare consueverunt (quales etiam Zygēnos esse in d.  
er. de valid. mendic. ostendimus) vel quos fustigatio & exili-  
um rectâ viâ ad patibulum ducit, in servitutem raperentur,  
& publicis operibus addicentur? Besold. lib. 1. Colleg. po-  
lit. cap. 10. §. 6. n. 56. Et Arnisæus, postquam servitutes non  
repugnare justitiae, multis probavit lib. 1. de Rep. cap. 3. non  
dubium esse, ait, si grassatores illi, qui regiones perambu-  
lant, & sub prætextu honestæ militiæ misellos rusticos con-  
cutiunt, ad operas publicas & servitutem damnarent, quin  
Reipublicæ futuræ sint & multò quietiores & florentiores;  
& inutili mendicorum pondere minus onustæ, ut ex jure  
multipliciter probatur. add. Joh. Herm. Stamm. de servit.  
person. lib. 3. cap. 3. & cap. 6.

Sed videoas in hunc usque diem furacissimum ac men-  
daciissimum isthō erronum genus multas Germaniæ pro-  
vincias peragrare, & quod mireris, literis securitatis sive sal-  
vi conductus Principum sigillo ac subscriptione munitis  
contra Imperialia decreta & sanctiones stipatum, rusticæ  
plebeculæ damna ac molestias inferre. Quæ verò  
est nostratum quoruñdam vesania, quod serpentem, ut est  
in proverbio, in gremio foveant, manifestos fures, scelera-  
tos latrones, validos mendicantes, impostores vagabundos  
alant, tucantur, & cum maximâ subditorum pernicie & o-  
nere huc illuc impunè grāssari patientur? Adeone omnis  
legum Imperii auctoritas eviluit? Nihil in Rep. tam per-  
niciosum vulgo existimat, quam otiosorum ac tenuium  
hominum huc illuc errantium multitudo, qui privatorum  
hominū bona diripiunt, & in eversione Reip. spem omnem  
fortunatum suarum posuēte. Hanc pestem Amasis Ægyp-  
tiorū Rex ab Ægypto longissimè repulit, cùm lege latâ san-  
ctissimè cavisset, ut otiosi homines, qui nihil haberent, quod  
suum dicere possent, capitali supplicio quasi prædones ad-  
fice.

ficerentur. Nullum sanè dubium est, qui scienter e-  
jusmodi hominum catharmata fovent, eos contra offi-  
cium boni Principis, quod est subditos eorumque bo-  
na contra injurias tueri, contraq; fidem, quâ Imperatori  
ac Imperio obstricti sunt, graviter peccare. Cùm ve-  
rò ex modò dictis pateat, Principes & Status diplomata  
securitatis liberiq; transitus Zygenis Imperii constitutio-  
nibus severè prohiberi; rectè quæritur, si illi ejusmodi  
fucos cum gravi subditorum onere ac incommode ni-  
hilominus foveant, an periculū de prædationis præstare  
teneantur? Quod dicendum videtur. Omnes quippe  
Magistratus, & publicæ potestates, puta Duces, Comites,  
& civitates in id unicè incumbere jubentur, ut virtute  
protectionis jure ordinario sibi competentis, subditos  
territorii sui tueantur, eosq; à violentiæ formidine præ-  
stant immunes. l. 6: §. 3<sup>1</sup> ff. de offic. Præsid. l. 23. pr. ff. quod  
met. causs. Utque territoria sua purgent à malis & faci-  
norosis hominibus. l. 3. l. 13. ff. de offic. Præsid. l. 4. l. 2. ff.  
ad Leg. Jul. pecul. R. J. de anno 1559. §. und haben uns.  
Gail. 2. Obs. σ 4. n. 2. Myns. 5. Obs. 100. Denais. in jur. Ca-  
mer. tit. 213. §. 8. Et ex naturâ sui officii debent impedi-  
re malum, & defendere subditos oppressos, quibus vi-  
dent injuriam & damnum inferri Matth. Coler. Cons. 39.  
n. 45. & seqq. Althus. lib. 1. diceol. cap. 113 n. 16. & seqq. ubi  
ex Tholosano de Rep. lib. 22. c. 9. ait: Tyrannidi similem  
esse licentiam & ignaviam Magistratus, qui bonos &  
pios contra aliorum injurias non defendit, impios ac  
sceleratos (quales esse Zygenorum turmas suprà proba-  
vimus) non coercet & punit. Hinc est, quod verissi-  
mè dici solet, omnes Principatus & Regales dignitates ad  
subditorum utilitatem inventas & ordinatas esse. Non enim  
populus Regis causa constitutus est, sed Rex in gratiam

C. 3<sup>1</sup> popu-



populi, ut omnia sua consilia, dicta & facta dirigat ad salutarem metam publici boni, oblitus commodorum suorum, utque salutem propriam salute communi posterorem ducat. Fernand. Vasq. lib. I. illustr. controv. in præf. n. 102. & n. 104. & q. I. n. 10. q. 82. n. 2. ratione igitur dissolutæ negligentiae & propriæ culpæ (cùm Magistratus in his, quæ ad officium ejus spectant, exactissimam debeat exhibere diligentiam. Cravett. conf. 132. n. 4. Menoch. de A. t. Q. cas. 390. n. 5.) ex quasi delicto ad restitutionem damni obligentur. per text. in l. 2. C. de off. Præf. Præt. Afric. l. I. C. de littor. & itin. custod. l. I. C. de fals. mon. c. Dominus noster XXIII. q. 2. Thoming. Conf. 18. n. 101.

Hoc deniq; admonendū videtur, si Zygensi diploma ta Cæsarea, ut quandoque factum legitur, salvi conductus proferant, iis non illicò fidem esse habendam, ut de mendicantium literis testimonialibus diximus in tr. de valid. mendic. Et si fortè editionem literarum recusent, cogendi sunt. Quicunque enim se in casu singulari fundat in privilegio aliquo indulto, literis regiis vel Cæsarisi &c. eorum ante omnia necessariò habenti communicatio facienda est. Papon. arrest. Paris. tit. 7. n. 2. Ita mandatum poenale sine clausulâ de exhibendis falsis literis, einen vermeinten Gelaids-Brieff der Thatern decretum Comiti à Stolberg Anno 1579. 15. Septemb. narranti: quomodo vagabundi quidam Thatern oder Zigeuner dicti, unterm Schein haben den Keyserl. Schuz- und SchirmBrieffs sub titulo salvi conductus Cæsarei, publicæque tesserae, in suum Comitatum intraverit, furtoque aliquot centenos florenos à subditis abstulerint, quos et si officii ratione ad horum instantiam persecutus fuerit, idque territorio nobilis Domini ab Hartenberg, sub principatu Moguntinensi sito, adsecutus prehendi sistique fecerit justitiam requirendo: tamen Dominum



minum loci metu forsitan prætensi ab illis salvi conduxerat Cæsarei, quem in Camerâ Imperiali obtinuisse sedicerent, nihil in eos statuere velle, nisi quod copiam prætensarum literarum eos edere fecerit: supplicationi adjunctum fuit: Quia hæc res attingeret Cæsareæ Maj. Cameræque Imperii existimationem, & ex stylo literarum, utpote à Camerali longè alieno, dolus, fraus atque falsitas omnibus Imperii legibus sub poena gravissimâ interdicta appareret, & Moguntinus Princeps superiorem isthuc loci, ubi comprehensi furaces illi essent, jurisdictionem haberet, ergo petebat contra Dn. Electorem dictum mandatum, ut ejus jussu exhibitæ prætensa literæ Cæsareæ in Camerâ produci falsique crimine reperto, omnia reorum bona confiscari, similiter de auctore ad dignum in personâ ejus statuendum exemplum inquiri posset. Pet. Frid. Mindan. *de mandat. lib. 2. cap. 48. num. 7.*

Et hæc in præsens de Zygénis dixisse sufficiat. Plurima qui velit, audeat B. Gramays *lib. 6. cap. 1. Apbrisca illustrata*. La Novella de Miguel & Cervantes en la Gitana, quos laudat Besoldus in præcognit. Polit.

Tantum; Terminalia sunt.

---

*Ad Dominum Autorem.*

**V**ita tibi mors est, quam non impendere  
chartis  
Lustrandis Thémidos, candide amice,  
licet.

Jena tuas olim potuit producere curas,  
Jamque novas novit nostra Rudolphopolis.

Per-

QKTP 200

Perpetua ergò negotia amas, non otia curas?

Quæ Summus fecit, quæ tibi sparta dedit.

Pluribus haud plures nunc informare videris,

ALBERT-ANTONIUS dum tua cura manet.

Verius at verò felix solertia in U N O

Erudit innumeros, quos plaga nostra capit.

Præcepta auriculis quorum instillare negatur,

Horum oculis *alia* consulere *arte* studies.

Laudo. Tuis cœptis adspiret gratia Jovæ,

Ac animi vigeant munera porro tui.

Quo tendo? mea turgida Contraho vela, sed  
addo:

*In tenui labor, at gloria non tenuis,*

Præclarissimo Dn. Abasvero Fritschio J. H. C.

& per illustris Comitis Alberti Antonii &c.

studiorum Moderatori felicissimo, Fausto-

ri & Amico suo candido grat.

M. Johannes Nicolaus Stender,

Scholæ Rudolph. Rector.



100

